C adalligatas, tenasmo & dysentericis utilissimè infundi. Item sedis uitijs, uel si foueantur. Melancholicis quoque succus datur cyathis ternis tepidus, & insanientibus quaternis. Decoctæ comitialibus heminæ succi. Hic & calculosis, & inflatione, & torminibus, aut opisthotonico laborantibus tepidus illinitur. Et sacris ignibus & ambustis decocta in oleum folia imponuntur, & ad uulnerum impetus cruda cum pane. Succus decoctæ neruis prodest, & uesicæ, & intestinorum rosionibus. Vuluas & cibo & infusione mollit in oleo. Succus decoctę pori meatus suaues facit.

EX SYMEONE SETHI.

Ventriculum facilè subit, non solum propter humiditatem, uerumetiã glutinositatem, atq; inprimis si cum oleo & garo offeratur, uino quo editur tempore irrorata. Vesicam, thoracẽ, pulmonemq; iuuat, & raucam uocem lenit. Sylueſtris malua, ut ferunt, comesta, dolores ex uesparũ morsu tollit. Si quis morsus à uespis aut apibus, succo Maluæ, præsertim sylueſtris, perungatur, confestim dolore leuatur. Dicitur etiam quod huius decoctum potum, lapides conterit, somnum conciliat, facilemq; partum præstat, si mulier ea crebrius utatur. Illita inflammationes lenit, eaq; quæ indurata sunt emollit. Illud Maluæ peculiare est, ut imposita ictibus uesparum & apum, dolores leuet.

DE MYRICE. CAP. CXCIII.

NOMINA.

Tamariscus. MYPIKH Græcis, Myrice & Tamarix Latinis, officinis Tamariscus, Germanis Tamarisck & Poyst nominatur.

GENERA.

D Dioscorides duo Tamaricis genera facit. Vna enim sylueſtris est, qualis est ea quæ in plerisq; Germaniæ locis prouenit, quamq; hic pictam damus. Altera satiua, quæ priori in cæteris similis est, nisi quod fructifera est, & minimè, ut illa, sterilis.

FORMA.

Sylueſtris arbustum frutéxue humilis est, ramis ex herbaceo fuluoq; colore uariegatis, foliis Sabinæ aut Erices, flore muscoso, qui demum in pappos euolat. Satiua cætera similis est sylueſtri, fructum tamen gallæ non dissimilem profert, qui gustu inæqualiter adstringit.

LOCVS.

Proxime paludes, resides stagnantesq; aquas nascit. Sylueſtrisq; copiosa in Germania ad Rhenum & Isarum, insignes fluuios, prouenit. Satiua in Syria & Ægypto, ubi procerissimas æquat arbores, gignitur.

TEMPVS.

Perpetua coma frondet.

TEMPERAMENTVM.

Myrice abstergentis est ac incidentis facultatis, absq; perspicua desiccatione: habet uerò etiam adstrictionẽ nonnullam. Cæterum fructus & cortex non paucam sortita est adstrictionẽ, adeò ut gallæ omphacitidi seu immaturæ proxima sint, nisi quod acerbitas euidens est in galla, sed Myrices fructui temperatura ineſt inæqualis: immista est enim naturæ eius multa partium tenuitas, atque uis abstergendi, quod sanè gallæ haud ineſt. Porrò Myricæ combustæ cinis admodum desiccatoriæ facultatis est, plurimam abstergendi facultatem habens, pauxillam adstringendi.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Fructu uice gallę in oris oculorumq; medicaminibus utuntur. Cruentis sputis in potu



TAMARIX